Case
Wing
Z
45
.18
ser. 1a
no. 77

XVII.

BIBLIORUM SACRORUM

LATINÆ VERSIONES ANTIQUÆ,

SEU

VETUS ITALICA,

ET

Cæteræ quæcunque in Codicibus Mſſ. & Antiquorum libris reperiri potuerunt:

Quæ cum Vulgata Latina, & cum Textu Græco comparantur.

ACCEDUNT

Præfationes, Obſervationes, ac Notæ, Indexque novus ad Vulgatam è regione editam, idemque locupletiſſimus.

Operâ & ſtudio D. PETRI SABATIER, Ordinis S. Benedicti, è Congregatione S. Mauri.

TRIBUS TOMIS IN-FOLIO.

REMIS,
Ex Typis REGINALDI FLORENTAIN, pro Rege Typographi, ſub ſigno Bibliorum aureorum.

M. DCC. XLII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.

PROSPECTUS

NOVÆ SACRORUM LIBRORUM EDITIONIS;

quæ Latinas Verſiones Antiquas, ſeu Veterem Italicam, & cæteras, quæcunque in codicibus Mſſ. & Antiquorum libris reperiri potuerunt, cum Vulgata Latina, & cum Textu Græco collatas, repræſentabit.

NIHIL neceſſe eſt uberiùs nos hîc præfari, quanti ſit pretii nova illa, quam in lucem emittere paramus, Sacrorum Librorum editio. Ipſe per ſe ſatis præfixus editioni titulus nunciat; nec alia, ſi qua opus foret, commendatio eſſet adhibenda. Cùm enim quidquid ad Sacros ſpectat Libros, in pretio eſſe apud omnes quàm maximo, & votis excipi omnium debeat; quo eſſe in pretio, queis excipi debet votis illa Scripturæ interpretatio, quæ apud Latinos primis Eccleſiæ temporibus olim fuit in uſu? Hæc illa nimirum Sacra ſunt Verba, quibus, ſi hinc inde prima repetamus ab origine fidei noſtræ, in Chriſto genitos nos eſſe diſcemus. Sinus ille eſt nutritius, in quo, lacte Chriſtiano nutriti, inſtituti, imbuti fuimus. Hic ille eſt fons cœleſtis, è quo ſa-

lientes in vitam æternam aquas hauſimus. His, inquam, verbis in Chriſto nos genuere veteres illi fidei Doctores, quorum operâ, cùm in tenebris, & umbra mortis ſederemus, in admirabile lumen Chriſti vocati ſumus. His ad nos verbis Chriſtiana Doctrina, his Religio, his Fides manavit. Ecquis ergo germanitus Chriſtianus, qui fidei pretium norit, rem, quæ tanti ſibi cauſa boni exſtitit, non ſitienter expetat, non impensè veneretur, non votis omnibus excipiat?

Atqui hoc ipſum eſt quod molimur opus; quod etſi hactenus intentatum penitus dicere non liceat, à nemine tamen abſolutum fuiſſe fas eſt aſſerere. Equidem partem aliquam Veteris hujuſce Verſionis edidere nonnulli, quorum in numero eſt, & agmen agit Flaminius Nobilius, qui Verſionem Italicam, ut ſcribit D. Matthæus Petitdidier, multis jam ſæculis oblitteratam, & omnino extinctam ſuperiori ſæculo excitare aggreſſus, & reſtituere conatus eſt. At quamvis laudabilem in id contulerit operam, nequaquam Verſionem Italicam, qualis ólim in Occidentali Eccleſia fuit in uſu, aut qualis etiamnum ſupereſt tum in Mſſ. codicibus, tum in antiquorum Scriptorum libris, reſtituit vir doctus; qui nequidem è Mſſ. codicibus, qui hanc Verſionem complectuntur, adhibuit unum. Alii alios Veteris Verſionis libros edidere Scriptores, qui in eodem curriculo non ſine laude deſudarunt. Nullus autem majori laude deſudavit, quàm vir clariſſimus Joſephus Blanchinus, Presbyter Congregationis Oratorii Romani, de quo vellem plurima dicere, ſineret modò locus. Verùm nemo hactenus Verſionem Veterem totam, & quanta eſt, evulgavit. Ad id nos hodie opus aggredimur, & eam excitare, & reſtituere animus eſt; &, ſi fortè non omnino qualis olim proximè ab Apoſtolicis temporibus apud Latinos fuit in uſu, certè qualis nunc aut in Veterum libris, aut in Mſſ. codicibus exſtat, & exſtabat Hieronymi Auguſtinique temporibus. Quanam verò ratione ſuſceptum opus perficere conati ſimus; qua via, queis ex monumentis Verſionem Veterem recuperaverimus; qua methodo, quo ordine recuperata à nobis ſit edenda, dicere jam operæ pretium eſt.

Ante omnia id nobis ſtudium fuit, Bibliothecas luſtrare, ſi minùs omnes, ſaltem celeberrimas; nec Gallicas tantùm, ſed etiam exteras, aut per nos, aut amicorum ope. Plurima Antiquæ Ver-

ſionis fragmenta accuratè deſcripta ad nos tranſmiſſa ſunt ex Mſſ. Vaticanis, Oxonienſibus, Cantabrigienſibus, &c. At nullibi lautior meſſis fuit, quàm in Bibliothecis Pariſienſibus, maximè in Regia, quæ nobis ſemper patuit; cujus Præfectum, virum eruditum D. Sallier nulla unquam de nobis bene merendi occaſio imparatum invenit; quique ſponte ſua omnibus nos perhumaniter officiis ſemper juvit, atque etiam conſiliis. Sed quantùm ipſi debeamus, non eſt hîc locus pluribus proſequendi. Plurima etiam mutuati ſumus ex Mſſ. Bibliothecæ Colbertinæ, Sorbonicæ, Claromontanæ, Sangermanenſis noſtræ, &c. Fas ſit dicere, pauci ſunt in his Bibliothecis codices, qui nos fugerint, ſi qui fugêre. Præterea Rituales libros, tum editos, tum manu exaratos; Miſſalia, ut aiunt, Lectionaria, Pſalteria; in primis Miſſale Mozarabicum cum Breviario evolvimus, è quibus non paucas mutuati ſumus Antiquæ Verſionis partes, quas ſuis omnes locis inſeruimus. Verùm præter Mſſ. codices, & Libros antiquos, unde Veteris Interpretationis pars magna prodiit, ampliſſimam nobis ſegetem obtulerunt SS. Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum opera; quæ omnia ſcrutati ſumus, illorumque maximè, qui ante Hieronymum vixere, & ab Hieronymo ad Gregorii Magni tempora, quibus Vetus Vulgata penitus exolevit. Mirum quàm multa undique ſeſe obtulerint Antiquæ Verſionis fragmenta. Jam verò ſi immenſam hanc lectionum ſilvam, quam evolvendo & excutiendo SS. Patrum volumina, congeſſimus, addas infinitis fragmentis, quæ ex Mſſ. codicibus decerpſimus, imo libris integris, vix quidquam ſupererit, quod in hac parte à nobis exigi, aut deſiderari queat.

En queis ex monumentis eruimus, & recuperavimus, quantùm id fieri potuit, Verſionem Veterem. Nunc qua methodo recuperatam edamus, quo ordine tot varios textus ad conficiendum corpus Biblicum diſponamus, accipe.

Hic univerſi Operis ordo, hæc erit diſpoſitio :

Vulgatæ Antiquæ textus partem paginæ occupabit inſigniorem; tum, ſi textus ille è Mſſ. codicibus prodeat, in fronte marginis cujuſque exterioris indicabitur codex, ſive unicus, ſive multiplex; ſi verò è veterum Patrum teſtimoniis conficiatur, è regione uniuſcujuſque verſiculi notabitur in eadem margine Scriptoris nomen, necnon liber, tractatus, caput, & pagina. Si tamen plures ver-

ſiculi, ac etiam capita integra ex uno eodemque Auctore exprimantur, locus ſemel duntaxat ſignificabitur, è regione ſcilicet prioris verſiculi.

Ut autem diſcrimen, quod intereſt Vulgatam Novam inter & Veterem, uno intuitu conſpiciatur; è regione Verſionis Antiquæ, versùs marginem interiorem, Vulgata hodierna minoribus characteribus aptè collocabitur, ita ut ſinguli Vulgatæ utriuſque verſiculi ſibi invicem reſpondeant.

Denique in ora inferiori tot ſubjicientur Notæ, quot erunt verſiculi Vulgatæ utriuſque ſuperpoſiti: His autem fuſioribus Notis inſerentur germana veterum Patrum teſtimonia, vel ſimiles codicum Mſſ. loci; Græca demum cum Latinis omnino diligentiſſimè comparabuntur.

Inſuper his, monita plurimorum fronti præmittentur librorum, in quibus, ſi quæ viſa ſunt uberiorem poſtulare diſputationem, quàm ut intra Notarum anguſtias commodè ſatis poſſent elucidari, explicabuntur. Tandem univerſo Operi prævia erit, & quidem ampla ſatis Præfatio, in qua de Latinis antiquis Verſionibus, maximè de Veteri Italica, de notis, propriiſque ejus characteribus; de indiciis, quibus olim à cæteris ſecernebatur; de fontibus, ex quibus eam hauſimus, & recuperavimus; aliiſque id genus, prolixiùs atque uberiùs diſſerere licebit. Ad extremum claudetur Opus indice totius Scripturæ locupletiſſimo.

Neque verò hîc prætermittam, cujus meritis & honori dicata, in lucem ſit emittenda Editio. Cujus autem nomen potiùs ſibi Vetus illa Scripturæ Interpretatio præſcriberet, quàm Principis, qui priſcos moribus Chriſtianos refert? qui nihil alienum à ſe putat, ubicunque de excitandis Divinarum Litterarum ſtudiis res eſt; qui diurna nocturnaque manu Sacra verſat Eloquia; * *cui*, ut cum Hieronymo loquar, *inter hæc vivere, nihil aliud noſſe, nihil quærere, videtur jam hîc in terris regni cæleſtis habitaculum.* Nemo, me tacente, non intelligit hanc Editionem, inſignitam nomine Celſiſſimi Aurelianenſium Ducis, eſſe prodituram. Plura vellem dicere, ſed vetat Princeps: ſat eſt nominaſſe.

* *Ep. ad Paulin.*

Quod partes Typographi attinet, nihil ab ipſo prætermiſſum fuit, quò elegantiſſima prodiret Editio; nec ſumptui, nec labori pepercit. Unde ſpes eſſe poteſt nihil moroſiſſimos quidquam de-

ſideraturos, aut reprehenſuros; ſeu characterum elegantiam, ſeu chartæ nitorem ſpectes. Unus, itemque alter tomus, quibus Vetus Teſtamentum continetur, è prælo jam exiere, moxque vulgabuntur; tertius verò, qui Novum complectitur, prælo pene eſt maturus, ipſique brevi ſubjicietur. Interea Eruditos quoſque, & bonarum Litterarum cultores obſecramus, ut ſi Manuſcriptos quoſdam codices apud ſe habeant, aut in Bibliothecis, vel ubiubi deliteſcere noverint, in quibus Antiquæ Vulgatæ fragmenta nonnulla reperiantur, nobiſcum communicare non graventur.

Faxit Deus, ut noſter iſte qualiſcunque labor in utilitatem Eccleſiæ, quod unum in votis eſt, cedat.